

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Paul Tarnow

Programma, Quo Rector Academiae Rostochiensis, Paulus Tarnovius, D. & Professor S.S. theologiae, Ad Exsequias, Quas ... Vir, Dn. Bernhardus Clingius, Reipub. Rostochiensis Senator ... filiolae ... Dorotheae Mariae Clingiae, adornatas cupid, Omnes huius academiae cives peramanter & officiose invitat

Rostochi[i]: Pedanus, 1630

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747411913>

Druck Freier  Zugang



Tarnovius, P.,

in D. M. C l i n g e.

R. 1630.

15



PROGRAMMA, 156.

Quo
RECTOR
ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS,

Paulus Tarnovius, D. & Pro-
fessor S.S. theologiae,

Ad Exsequias,

Quas
Prudentissimus & amplissimus V:

Dn. BERNHARDUS
CLINGIUS,

Reipub. Rostochiensis Senator meri-
tissimus, & adhuc bene merens,
filiolæ suæ suavissimæ,

DOROTHEÆ MARIAE CLINGIÆ,
adornatas cupit,

Omnes hujus academia cives peramant
& officiosè invitati.



ROSTOCHI

Typis Joachimi Pedani, Acad. Typ.
ANNO M. DC. XXX.



RECTOR
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS,
PAULUS TARNOVIUS,
D. & Professor S.S. theol.



Uod non minus eleganter,
quam verè, dixit Augusti-
nus: *In tempore vivimus,*
& quid sit tempus, ignoram-
us: id ad multos, qui
Christianorum titulo gau-
dent, paucis mutatis, ac-
commodari posse utinam merito negare possi-
mus! In Christianismo vivimus, & quid sit Chri-
stianismus, ignoramus. Vulgus eorum, qui in
ecclesia & cætu Christianorum degunt, illos
nomen & rem veri & vivi membra, Christo ca-
piti nostro inserti, obtinere putat, qui in prima
infantia baptizati, postquam adoleverunt, sa-
cros conventus in templis frequentant, hym-
nos cum turba concinunt, preces & gratiarum
actiones fundunt, peccatorum suorum confes-
sionem coram ministro verbi & sacramento-
rum edunt, absolutionem petentes impetrant,
usu eucharistiae potiuntur, & si quid præterea
est, quod in externo Dei cultu positum, nec per-

se

se reprehensionem meretur, præstant. quorum
opinio æquè perniciosa est plurimorum saluti,
atq; ipsa est à veritate aliena: quod ostendunt
exempla hypocritarum omnia, qui enumerata
præstant universa, & singula, & tamen non ma-
gis sunt de corpore Christi mystico, quod est
vera ecclesia, quam ulcera & scabies, de corpo-
re hominum, in quo hærent, physico. Propria
verè piorum, qui soli Christiani sunt re ipsa,
ars & officium est, credere invisibilia, sperare
dilata, amare Deum ostendentem se tanquam
inimicum & hostem, & sic usque ad finem per-
severare. Illam qui norunt & exercent, ijdem
nec ignorant, neque impatienter ferunt, se in
schola crucis & patientiæ divinitus exerceri, &
suæ artis Christianorum propriæ partem non
postremam à Deo exigi. et si enim pater cœle-
stis, cum sit ~~agrediorū natus~~, non necesse habet, sua
caussa tentare & explorare nostros in fide, ejusq;
fructuum veritate, progressus: tamen, cum
optimè sciat, quanta ignorantia & vanitate la-
boremus, quām facile fallamur, ut nobis met-
ipsis alijsq; tanto magis innotescamus, quando,
& quomodo ipsi visum fuerit, experiendi noti-
ficandiq; qui & quales simus, occasionem su-
binde suppeditat. sic patrem omnium fidelium
Abrahamum, cum jamdiu colloquijs Dei eru-

titus, multisq; experimentis in veritate divi-
næ doctrinæ esset confirmatus, à Domino tem-
tatum legimus, quando, quem unum & unicum
habebat ex Sara filium Isaacum, & quem ar-
dentissimè amabat, secum assumere, & in regio-
nem Morijæ cum eo proficisci, ibiq; super uno
montium, quem monstraturus erat Jehova, ipsi
in holocaustum offerre jubebatur. quæ quidem
tentatio, teste Augustino, non id agebat, ut ipse
Dominus aliquid cognosceret, quod antè ne-
sciebat: sed ut illo tentante, id est, interrogan-
te, quod erat in homine occultum, proderetur.
non enim homo sibi ita notus est, ut creatori:
nec sic æger sibi, ut medico, ægrotat homo, ipse
patitur, medicus non patitur: & ab illo, qui non
patitur, exspectat audire quod patitur. Hæc
fors cum fuerit patris fidelium, non est quod
eam recusemus, aut peculiarem aliquam nobis
postulemus, qui liberi ejus audire desideramus:
quin hoc ipso quod tentamur, erudimur & ca-
stigamur à Domino, nos e iusdem filios agnosciri
& verè amari scimus: illud potius operam de-
mus, ut vera æquanimitate & subjectissima sub-
potenti manu altissimæ humiliacione ortum
nostrum ex Deo probemus. In quo studio non
parva se difficultas offert, si quando contingat
à nobis reposci, quos omnium carissimos ha-
bui.

buimus: quo numero sobolem contineri omnes
probè norunt, quibus, quas & quantas suavi-
tates parentum nomen complectatur, divino
beneficio persentiscere concessum est. Quæ
cum ita sint, dubitari non potest, quin hoc
tempore gravissimi doloris & patientiæ Chri-
stianæ certamen subeundum sit prudentissimo
& spectatissimo viro, Dn. BERNHARDO
CLINGIO, Senatori reipub. Rostochiensis
meritissimo, ejusq; conjugi dilectissimæ, S O-
PHIÆ ELISABETHÆ STEINBRINGS,
fœminæ lectissimæ, matronalium virtutum
splendore conspicuæ, cum, quæ nata hujus anni
X. Ianuario, circa sextam vespertinam, filiola
elegantissima, DOROTHEA MARIA, ea-
dem denata sit XVIII. hujus mensis die, circa
idem tempus vesperæ, postquam continuæ fe-
bris molestiam & dolores per XIII. dies pertu-
llerat, neq; enim aliter possunt per affectum pa-
rentum naturalem, qui divinitus omnibus in-
itus est, & ardenter motus in pectoribus
generosis excitat, quam ut decessu filiolæ suavissi-
mæ & carissimæ excrucientur, & graviter do-
leant, licet in hac schola crucis & patientiæ jam
ante crebrius sint exercitati & eruditæ. ex de-
cem enim liberis, quos singulari benedictione
divina habuerunt, Bartholomaum, Bernardum,

A 3

70a-

*Joac bium, Annam Margaretam, Henricum,
Sophiam Elisabetham, Agnetam, Johannem Wil-
helnum, Margaretham Elisabetham, Dorotheam
Mariam*, soli in hac vita supersunt duo filij,
qui tertio & quinto loco nati fuerunt. Sed ta-
men cum in veræ pietatis studijs sint innutri-
ti, ejusq; exercitijs multorum annorum decur-
su corroborati, planè confidimus, ipsos, quæ
huic vulneri sanando medicamina profint, ex
Spiritus Sancti officina desumpta salutariter
adhibituros, suoq; dolori levamen inventuros.
cum enim filiolam suam *Dorotheam Mariam*,
Christo capiti nostro ejusq; corpori, quod est
ecclesia, per lavacrum regenerationis verè in-
sertam sciant, atque ille in morte retineri non
potuerit, quotquot ejus vera membra sunt, unà
cum ipso ad vitam & gloriam perennem resur-
recturos certò credent. corporis exuviae, quæ
morti propter peccatum debebantur, tantum
abest, ut per sui resolutionem quicquam damni
patiantur, ut à sordium, quæ ipsis inhærescunt,
reliquijs omnibus purgandæ, & cum sancta ac
beata animula paulò post in novissimo die in-
dissolubili nexu iterum sint conjungendæ. hu-
jus doctrinæ, qua destituuntur ethnici, qui id-
circo ita dolent, ut qui spem vitæ melioris non
habent, 1. Thessal. 4. v. 13. meditatio fidelis sup-
pedi-

pedirat veram & vivam consolationem in o-
mnibus ærumnis, absque qua si sit, omnium ho-
minum miserrimi futuri essemus, 1. Corinth. 15.
v. 19. Nos quoq; quantum possumus, minuen-
do luctui mæstorum parentum, totiusq; fami-
liae, officio, quod à nobis exigitur, hodie inser-
viemus: ad quod alacriores nos meritò reddere
debet Dei mandatum, & hominum, à quibus
ortum habuit, præclara fama atque merita. ut
enim de patre & matre, suis elogij, quæ ante at-
tigimus, satis superq; commendabilibus, denuò
nihil dicamus, ayus ei paternus fuit Vir magni-
ficus, amplissimus, & consultissimus, Dn. D.
Bartholomæus Clingius, Juris Doctor & professor
excellentissimus, Consiliarius Megapolitanus,
cujus opera academia & hæc tota provincia
per annos quinquaginta feliciter usa est: ma-
ternus, Vir amplissimus & prudentissimus,
Dn. Henricus Steinbringius, illustrissimi & cel-
lissimi quondam Principis & Domini, Dn. Hen-
rici Julij, Brunswicenium & Lunæburgensium
Ducis, dum vivebat, clementissimi, supremus,
per multos annos, Castrorum ad Hercyniam
sylvam præfetus spectatiss: avia utraq; matro-
næ à pietate & virtute laudatissimæ, paterna;
Margareta Kronia, viri itidem amplissimi &
prudentissimi, Dn. Ioachimi Kronij, Senatoris,

cum

cum alijs nominibus, tum in primis legationibus, quas publici commodi caussa feliciter obi-
vit, præclarè meriti, & honestissimæ matronæ,
Agnetæ Smedes, filia, & amplissimorum quon-
dam hujus reipub. virorum, *Bernhardi Kronij*,
Consulis, & *M. Laurentij Smedes*, Senatoris
neptis, *Henrici autem Kronij*, Consulis itidem
quondam amplissimi, & *Balthasari Smedes*, ci-
vis hujus reipublicæ primarij, proneptis: avia
verò materna, *Anna Lippia*, fœmina egregia,
ex præclara *Lippianorum* familia oriunda. Tan-
tis & tam præclaris majoribus ortæ honorem
supremum & ultimum cum præstare rogemur,
faciamus rogati libenter, quod non rogatis fa-
ciendum intelligimus haud illibenter: & con-
veniamus frequentes hodie hora prima, in
templo Mariano, officium charitatis præstitu-
ri superstibus lugentibus, & nosmetipsos
commonefacturi nostræ mortalitatis, Deoque
commendaturi totius Germaniæ, patriæ com-
munis, & hujus provinciæ, vicinarumq; affi-
ctissimarum, & nostram omnium salutem pre-
cibus ardentissimis. P. P. sub sigillo acade-
mix, clo 13 CXXX. XXI. Maij.











Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn747411913/phys_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747411913/phys_0016)



biimus: quo numero sobolem cont-
probè norunt, quibus, quas & qu-
ates parentum nomen complecta
beneficio persentiscere concessum
cum ita sint, dubitari non potest
tempore gravissimi doloris & pati-
tianæ certamen subeundum sit pri-
& spectatissimo viro, Dn. BER-
CLINGIO, Senatori reipub. Re-
meritissimo, ejusq; conjugi dilecti
PHIÆ ELISABETHÆ STELI-
fœminæ lectissimæ, matronaliu-
splendore conspicuæ, cum, quæ nat-
X. Ianuario, circa sextam vespert-
elegantissima, DOROTHEA. N-
dem denata sit XVIII. hujus men-
idem tempus vesperæ, postquam c-
bris molestiam & dolores per XIII.
llerat, neq; enim aliter possunt per-
tentum naturalem, qui divinitus c-
fitus est, & ardenter motus in
generosis excitat, quam ut decessu si-
fimæ & carissimæ excrucientur, &
leant, licet in hac schola crucis & pa-
ante crebrius sint exercitati & eru-
cem enim liberis, quos singulari b-
divinia habuerunt, Bartholomæum, E

A 3,

